

VARIETADES

EL MONJÚ DE LA CIUDAD DE GERONA Y LA SINAGOGA Y CONCEJO HEBREO DE CASTELLÓN DE AMPURIAS

ESCRITURAS DE LOS SIGLOS XIII, XIV Y XV

13 Junio 1207. *Libro verde* del Cabildo de la catedral de Gerona, folios 149 y 150.

Quoniam tam sacre leges quam sacri canones permutationes, que ad utilitatem ecclesie honeste et canonice cedunt, fieri permittunt; idcirco: Ego, Arnaldus, dei gratia Episcopus, consilio et assensu totius Gerundensis capituli, ratione comutationis diffinio, laudo, et concedo, et in presenti cum hac scriptura trado tibi, bernardo de monte palatio archidiacono de angles, totas domos illas cum orto et ferraginali quas, pro loco et dignitate tui archidiaconatus, habebas in *monte judaico* et Petrus carbonelli pro te tenebat; hec inquam, supradicta tibi comutamus et in presenti tibi tradimus ut ea habeas, teneas et possideas, non ratione dignitatis sicut prius, set dominio proprietatis, ut scilicet tamquam tuum alodium franchum possis illa vendere, obligare, et cuicumque viventi tam judeo scilicet quam christiano, vel cujuscumque alterius conditionis sit, volueris, quocumque modo alienare. Affrontant autem ab oriente hec supradicta in ferriginali Petri de monte judayco, sicut terminatum est, a meridie in torrente; ab occidente in *cimeterio quod est alodium hebreorum*; a circio in alio torrente. Sicut hiis IIII^{or} affrontationibus supradicta includuntur, domus et ortus et arbores et ferriginale, et quidquid dictus Pe-

trus Carbonelli tenet et possidet pro predicta ecclesia, sic ea tibi donamus, laudamus et concedimus sine aliquo retentu et enginio, renuntiantes omni actioni, privilegio et juri contra hanc comutationem nobis competito. Hoc autem donum totum tibi facimus, quia utile et honeste est nostre ecclesie, propter illud alodium quod tu emisti a Raymundo eymerico et ab uxore sua Berengaria in parochia Sancti Martini de caciano, sicut resonat in instrumento emptionis inter te emptorem et ipsos venditores inde confecto. Quod instrumentum cum ipso alodio vice comutationis predictorum, domino deo et ecclesie Gerundensi, et nominatim et expresse archidiaconatui de Angles, ad quem spectabant, sicut superius dictum est, predictas domus, et ortus, et arbores, et ferraginale, nobis tradidisti.

Et ego, bernardus de monte palatio archidiaconus de Angles, recipiens predictam commutationem, propter utilitatem et meliorationem archidiaconatus de Angles, a te domino Arnaldo Gerundensi Episcopo et universis ecclesie Gerundensis clericis, dono, concedo laudo et in presenti trado predictum alodium, quod est in parochia Sancti Martini de caciano, videlicet ipsam mansatam quam predictus Raymundus eymericus et uxor sua berengaria habebant cum predicta canonica in parochia (Sancti) Martini de caciano, cultum et heremum; et totum ipsum honorem cultum et heremum, et ipsam vineam quam Johannes de ipsis paratis, homo dicte canonice, tenebat per eos, et donat inde tascham et braciaticum et unum anserem; et etiam unum campum terre, quem Petrus dalmatius, homo dicte canonice, tenebat per eos, unde donat tascham et braciaticum. Hec omnia supradicta dono per franchum alodium domino deo et gerundensi ecclesie, et expresse et nominatim archidiaconatui de Angles, pro illis domibus et orto et ferraginali supradictis. Quorum commutationem ex proprietate et dominio michi facto, sicut melius illud emi a predictis venditoribus et illud habebam in pace, sic dedi, concessi, laudavi per franchum alodium absque omni retentu in perpetuum predicto archidiaconatui de Angles; renuntians similiter omni juri scripto, quod contra hanc commutationem michi vel alicui per me competere posset.

Actum est hoc Idus junii Anno domini Millesimo CCº Septimo.

Ego Raymundus dei gratia Terrachonensis archiepiscopus confirmo.—Arnaldus dei gratia Gerundensis episcopus.

Bernardus de montepalacio impuritanensis archilevita.—Deodatus bisillunensis Archilevita.—B(erengarius) de monte acuto.—Raymundus Gerundensis archilevita.—Arnallus presbiter.—Berengarius de albuciano, judex ordinarius, silveque archidiaconus.—Raymundus de monte rubeo.—Petrus de caciano.—G. de villanova.—Ego Guillelmus de ficulneis subscribo.—(Signum) Petri de Palatio.—Arnallus de fonte coperto presbiter et canonicus.—(Signum) Guillelmi de Cartiliano.—Ego Cervianus subscribo.—(Signum) Raymundi de Rechasen Gerundensis canonici.—Arnaldus de Caciano presbiter et canonicus subscribo.—Ego egidius presbiter et canonicus subscribo.—Ego Cervianus subscribo.—Petrus de locustaria presbiter Sacrista secundus.—Berengarius de Spaden.—Ego Berengarius presbiter subscribo.—Signum bonardelli presbiteri.—Pontius de quarto presbiter.—Ego gaufredus subscribo.—Guillelmus precentor.—Alamandus de aqua viva Gerundensis Sacrista.—Signum Berengarii de galliners.—Arbertus scriptis postremus scripsit in istis.

Signum Petri de Castilione, qui hoc scripsi cum litteris supra scriptis in V linea, die et anno quo supra.—Bernardus stephani levita et publicus scriptor Gerunde subscribo.

9. Julio 1321. Archivo del Vicariato en la Curia episcopal de Gerona, *Liber notularum*, 2, folios 85 y 86.

Nos petrus dei gracia Episcopus Gerundensis (1):

Attendentes quod, propter scolam sive *synagogam* judeorum ville Castilionis *que non opere hominis sed casu fortuito ruit et adhuc diruta existit*, concessimus aljame judeorum dicte ville quod dictam scolam sive *synagogam* possent reficere et amplia-

(1) El *Liber notularum* registra esta escritura entre las del año 1321, así como las demás del obispo Pedro de Rocabertí; el cual había sido electo para esta dignidad en 14 de Octubre de 1318.

re versus orientem et meridiem, *quatenus patium et porticus scole sive synagoge predicte protendebantur, in quibus orationes fiebant per judeos*, et sic erant de coherentibus sive pertinentiis dicte scole sive synagoge; et dictum patium sive solum versus orientem, quod est juxta parietes hospiciorum bernardi monerii et bernardi jenerii, sit necessarium dictis judeis pro introitu dicte scole; Recolentes eciam nos eisdem concessisse quod dictam scolam exaltare in altum possent per sexaginta palmos *canne* pannorum ville Castilionis (1) in altiori loco usque ad summitatem dicte scole, ex quibus verbis dubium oriebatur; Volentes declarare dictum dubium et attendentes quod dictus introitus versus orientem est necessarius judeis predictis ad intrandum dictam scolam, et inde exeundum; Ideo concedimus vobis *Içacho salendini* et *Mometo astruch* judeis ville Castilionis presentibus, et nomine aljame ejusdem ville Castilionis et omnium judeorum in ipsa villa nunc vel in futurum degentium recipientibus, in recompensacionem dicti patii sive emendam, quod versus occidentem possitis emere hospicia poncii avinent et uxoris petri castilionis quondam, contigua dicte scole, de quibus hospiciis possitis augmentare in amplum dictam scolam per quindecim palmos dicte *canne*, computandos a *pariete veteri dicte scole* et extra parietem versus occidentem, et residuum dictorum hospiciorum possitis retinere ad recipiendas aquas scole et alias, et ad curiam sive colloquium ibi faciendum, et quod possitis facere hostia ibi per que ad dictam Curiam sive patium intrare valeant judei; et in dicto casu non possit dicta scola antiqua ampliari versus orientem, nec spatium seu patium, quod ibi est, infra scolam poni. Item quod dictam scolam exaltare valeant dicti judei in altum per omnes partes ejus per sexaginta palmos *canne* pannorum ville Castilionis. Verum si dicta hospicia poncii avinent et uxoris Petri Castilionis dicti judei comode habere non possent titulo empcionis vel alio modo, volumus et concedimus dictis judeis quod ipsi possint emere hospicia dictorum bernar-

(1) La *cana* de medir paños, contenía ocho palmos, y valía aproximadamente dos varas castellanas, ó 1,66 m.

di monerii et bernardi jenerii que sunt versus orientem, et ibi facere curiam et introitus ad dictam scolam sive synagogam, quam volumus posse protendi versus orientem usque ad parietes inclusive dictorum hospiciorum bernardi monerii et bernardi jenerii ita videlicet quod dicta scola non fiat amplior nec extendatur ultra dictum spacium sive patium, in quo judei quondam consueverunt orare extra dictam scolam antiquam, prout de hoc nobis extitit facta fides. In longitudine vero versus partem meridionalem possitis eam facere et construere usque *ad viam publicam*, ita quod patium sive spacium quod ibi est, in quo nobis constat quod consueverunt judei orare, possitis infra scolam ponere supradictam, prout jam vobis per alias nostras litteras est concessum.

In cujus rei testimonium mandavimus de hiis fieri publicum instrumentum, ipsumque sigilli nostri pendentis munimine roborari. Quod fuit actum Gerunde, VII idus julii Anno predicto; presentibus testibus venerabili Guillelmo de Corneliano et benengario dominici clerico ecclesie Gerundensis. Factum est.

1.º de Junio de 1406. La Reina de Aragón, doña María de Luna, mandá Pedro Comte, administrador del condado de Ampurias, que renueve el Concejo hebreo de Castellón. Archivo general de la Corona de Aragón, registro 2.351, fol. 180.

«La Reina.

Administrador: Nos, per certes causes assats raonables havem deliberat mudar lo Regiment de la Aljama dels Juheus de Castello Dampuries; e de fet per un any, qui començara lo VIII^e die del present mes de Juny, lo havem ordonat en la forma continguda en la cedula sepulta en la present.

Per queus manam tan expressament com podem que, tota apellacio consultacio e contradictio apart posades, remogats lo dit dia del dit Regiment tots aquells qui vuy hi son, e en lo loch de aquells mettats los qui son nomenats en la cedula damunt dita, e no altre qualsevol, ço es, cascu en sou offici, segons en la dita cedula es amplament e distincta contengut, qualsevulla

privilegis o provisions en contrari fetes no contrastaius en alguna manera. En los altres empero officis en la dita cedula no contenguts volem que los Secretaris per nos are ordonats hi elegesquen aquells del consell, e de fora lo consell, quels paria faedor; faent tambe en remoure los dios regidors com en constrenyer aquells per nos are ordonats de acceptar los officis en la dita cedula contenguts e de regirlos, segons se pertany, aquells forts enantaments procehiments e constrenyments penals que lo negoci demane e requer, e vos conexerets esser expedient e necessari. Car Nos, en e sobre les dites coses ab les dependents e emergents daquelles, vos comanam nostras veus plenerament ab la present.

Dada en Barchelona sots nostre Segell secret lo primer dia de Juny de lany MCCCCVI.

Bernardus Michaelis.—Antonius valls; etc. pro (registrata).—Facta in Concilio, pro (registrata).—Dirigitur Petro comitis, administratori Comitatus impuriarum.»

La cédula inclusa en la de la Reina, decía:

«**Consellers.** *De ma major:* Samuel Issach, Perfet bonsenyor, Abraham benvenist, Alatzar Issach, Zarch perfect. *De ma mitjana:* Issach rouhen, Issach mahiz, Salamo struch, Enoch adret. *De ma menor:* Duran Jaco, Jucef aynay, Vidal Jucef.—**Secretaris:** Athan Abraham, Jucef samuel, Bonseñor vidal.—**Clavari:** Issach mahiz.—**Oydors de comptes:** Issach rouhen, Struch aynay (I), Duran Jaco.»

Madrid, 12 de Enero de 1906.

FIDEL FITA.

(1) El apellido *Aynay*, que, según aparece de este instrumento, fué propio de Jucef y de Struch, se hace conocer por su forma hebrea en el epitafio de

ר'אובן בר אגניאי

(Rubén bar Aguinay), fallecido en Castellón de Ampurias, en el mes de Ab del año 5103 de la Creación (23 Julio-21 Agosto de 1343).